INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISVALDENSI

PER SEMESTRE HIBERNUM

ANNI MDCCCLIII—IV

A DIE XVII. MENSIS OCTOBRIS

HABENDARUM.

INEST G. F. SCHOEMANNI DISSERTATIO DE RETICENTIA HOMERI.

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE REG. UNIVERS. TYPOGR.

UNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISVALDENSIS

RECTOR

FRIDERICUS AUGUSTUS GOTTLOB BERNDT

CUM

SENATU ACADEMICO

S. D.

CIVIBUS ACADEMICIS.

A veteribus Homeri interpretibus non raro schematis cuiusdam elliptici mentionem fieri videmus, quod *κατὰ τὸ σιωπώμενον* dicitur, quo schemate poetam usum esse autumant, ubi aliquid, quod dici debuisse videatur, silentio praetermittit, ut ab ipsis auditoribus subaudiendum. *Ἐστὶ γὰρ τοῦτο*, inquit Eustathius p. 174, 22, *μέθοδος συντομίας, ὡς μὴ θέλοντος τοῦ ποιητοῦ ἐνδιατρίβειν τοῖς μὴ καιρίοις.* Et sane non mirum aut reprehensione dignum iudicabimus, si non omnes res minimas semper disertis verbis exponere, sed nonnulla etiam auditorum intelligentiae relinquere voluerit, verbosaeque et putidae loquacitati talem brevitatem praetulerit, quae nec destitueret auditorem summae rei intentum, nec moraretur supervacanea leviorum commemoratione, suntque hac ratione aliquot loci, in quibus unus aut alter criticus offenderat, non inscite ab aliis defensi. Velut Il. II, 76, ubi Agamemnon in principum consessu verbis factis c o n s e d i s s e dicitur (*ἤτοι ὅγ' ὣς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετο*), quum antea v. 55 non dictus sit ad dicendum surrexisse, id quod alibi in huiusmodi narrationibus non solet praetermitti, haec res Zenodotum adeo offendit, ut v. 55 pro eo, quod nunc legitur, *τοὺς ὅγε συγκαλέσας πυκινὴν ἠρτύνετο βουλήν*, hos duos versus reponeret: *αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἤγερθεν ὁμηγερέες τ' ἐγένοντο τοῖσι δ' ἀνιστάμενος μετέφη κρείων Ἀγαμέμνων.* Longe aliter Aristarchus, qui quum hoc ipsum parum credibile iudicaret, Agamemnonem in septem virorum consessu — tot enim convocati erant — stantem verba fecisse, versum 76 et septem proximos cum hoc cohaerentes plane eiiciendos esse censebat. Alii contra, quorum auctoritatem Eustathius sequitur, haudquaquam illud incredibile rati, Agamemonem, quamvis pauci adessent, tamen, ut in concione, ad dicendum surrexisse, disertam huius rei mentionem, ut supervacaneam, impune ab Homero reticeri potuisse iudicarunt: quod iudicium, a recentioribus, quod quidem ego meminerim, omnibus comprobatum, mihi quoque rectissimum esse videtur [1]. — Porro Iliad. I, 490, de Achille ob acceptam ab Agamemnone iniuriam irato, inter alia haec dicuntur: *οὔτε ποτ' εἰς ἀγορὴν πωλέσκετο κυδιάνειραν, οὔτε ποτ' ἐς πόλεμον* —, estque loci

---

1) Conf. Il. VII, 347 et 354, ubi item c o n s e d i s s e dicitur, qui non dictus erat s u r r e x i s s e.

1*

illius contextus eiusmodi, ut non possint haec nisi de eo tempore dicta accipi, quod medium fuit inter iniuriam Achillis reditumque deorum ex Aethiopia in Olympum, quo eos post dies duodecim, sicut Thetis v. 425 praedixerat, reversos esse poeta v. 493 memorat. Atqui nulla per hos duodecim dies concio Achaeorum, nullum proelium memoratur: et sunt tamen verba illa eiusmodi, ut abstinuisse Achillem propter iram concionibus et proeliis significent: abstinere autem rebus, quae nullae sunt, nemo dici potest. Itaque hic quoque reticuisse Homerus videtur, quae ab auditoribus subaudiri deberent: *εἰκὸς κατὰ τὸ σιωπώμενον καὶ ἐκκλησίαν καὶ πόλεμον πρὸς τοὺς περιοίκους γενέσθαι*, inquit Schol., in qua sententia non intercedo equidem quominus acquiescamus. — Nec graviorem offensionem habet IV, 159, ubi Agamemnon, ruptam foederis fidem increpans, *οὐ μέν πως*, inquit, *ἅλιον πέλει ὅρκιον αἷμά τε ἀρνῶν, σπονδαί τ᾽ ἄκρητοι καὶ δεξιαὶ ᾗς ἐπέπιθμεν.* Notarunt sane nonnulli, *δεξιὰς* nunc dici, quum in superiore libro, ubi ritus foederis sanciendi singulatim memorantur, dexterarum tamen ad firmandam fidem datarum nulla mentio facta sit, utiturque Lachmannus[2]) etiam hoc argumento, quo hanc partem Iliadis ex alio, quam superiorem, carmine desumptam esse probet. Nos, quamvis ceteroquin non vanas Lachmanni suspiciones esse iudicemus, huic tamen argumento non multum tribuendum esse concedimus, sed audiendum potius schol. BL.: *δεξιαὶ ἐγένοντο ἴσως κατὰ τὸ σιωπώμενον*, aut Eustathium: *σημείωσαι δ᾽ ἐνταῦθα ὅτι ἐν τοῖς ὁρκίοις καὶ δεξιῶν ἥπτοντο, εἰ καὶ Ὅμηρος οἰκείῳ νόμῳ τοῦτο ἐσίγησεν ἐν τοῖς φθάσασιν, ὡς καὶ ἐπὶ ἄλλων πολλῶν ποιεῖ, κατὰ σχῆμα ἀποσιωπήσεως.* — Item VI, 114 offendit veteres quosdam criticos, quod Hector proelium relicturus, quo supplicationem in urbe fieri iubeat, *βείω*, ait, *προτὶ Ἴλιον, ἠδὲ γέρουσιν εἴπω βουλευτῇσι καὶ ἡμετέραις ἀλόχοισιν δαίμοσιν ἀρήσασθαι*, neque tamen aut ab Heleno, v. 87, quum Hectori illud consilium suggerit, neque ab ipso Hectore, v. 260, quum matri suae supplicationem mandat, ulla senum senatorum mentio fit. Removendae offensioni duplex ratio inita: *νοητέον*, inquit schol. A., *ἤτοι κατὰ τὸ σιωπώμενον κἀκείνοις αὐτὸν εἰρηκέναι, ἢ ὡς ἐπὶ στρατείας* (leg. *στρατιᾶς*) *καὶ παρατάξεως τοῦ πρέποντος χάριν τοῦτο προστεθεικέναι.* — Levissima res est XVI, 411, de Patroclo, qui quum non pedibus sed curru insistens proelietur, tamen Erylaum saxo coniecto percutit. *Πῶς λίθων εὐπορεῖ*, inquit Schol., *ἐφ᾽ ἅρματος ὤν*; sed respondet ipse: *ἔοικε κατὰ τὸ σιωπώμενον καταβεβηκέναι ἀπὸ τοῦ δίφρου, εἶτα μετὰ τὸ πλῆξαι τὸν Ἐρύλαον πάλιν ἀναβεβηκέναι.* Alii, quorum Eustathius mentionem facit, rem sic expediverunt, ut dicerent Patroclum fortasse provisa in curru saxa habuisse, si quibus utendum foret. Recte autem nuper Faesius admonuit, iam e v. 404, ubi Thestorem Patroclus prope adstans hasta percutit (*ἔγχεϊ νύξε παραστάς*), colligi posse, eum de curru descendisse. — Non minus leve, quod XXI, 17 Achilles gladio usurus hastam ad ripam fluminis myricis obtectam reliquisse, mox tamen v. 67 contorsisse hastam in Lycurgum dicitur. Notaverat hoc Zenodotus, quemadmodum depositae, sic etiam resumptae hastae mentionem disertam fieri debuisse ratus: sed redarguit eum Aristarchus, *ὡς ἀγνοοῦντα ὅτι πολλὰ δεῖ προσδέχεσθαι κατα τὸ σιωπώμενον ἐνεργούμενα.*

---

2) Betrachtungen über Homers Ilias v. K. L. mit Zusätzen v. M. Haupt. Berl. 1847. p. 19.

Haec igitur atque similia facile sic explicari et defendi posse concedimus: sunt autem alia, quorum non tam expedita est defensio, neque iniectus animo scrupulus illo reticentiae schemate adhibito facile eximitur. Ex hoc genere illud est, quod XVII, 24 Menelaus cum Euphorbo ad certamen congressus fratrem huius Hyperenorem, ante a se interemptum, convicia in se iactasse ignaviamque sibi exprobrasse memorat, cuius rei in illa parte Iliadis, quae Menelai cum Hyperenore pugnam refert, XIV, 516, nulla prorsus mentio facta est. Absolvitur enim ibi omnis narratio his versibus: Ἀτρείδης δ᾽ ἄρ᾽ ἔπειθ᾽ Ὑπερήνορα ποιμένα λαῶν οὖτα κατὰ λαπάρην, διὰ δ᾽ ἔντερα χαλκὸς ἄφυσσεν δηώσας· ψυχὴ δὲ κατ᾽ οὐταμένην ὠτειλὴν ἔσσυτ᾽ ἐπειγομένη, τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψεν. Scholiastae quidem etiam convicia ista Hyperenoris κατὰ τὸ σιωπώμενον subaudienda esse, quamvis dubitanter, suspicantur. Nobis probabilius videtur, fuisse in alio quopiam carmine accuratiorem de Hyperenoris caede narrationem, quae quum non recepta esset in compositione Iliadis, hunc tamen locum libri XVII, qui illuc respiceret, per negligentiam quandam intactum ut erat relictum esse. — Porro lib. XVI v. 432 Jupiter Sarpedonem conspicatus cum Patroclo congressum Junonem alloquitur, seque ambigere profitetur, eripiatne fatali morti filium, an occidi a Patroclo patiatur, quam illa orationem vehementer improbans persuadet marito, ne fatis obsistat. Apparet ex hoc colloquio, hos duos nunc una esse, et quidem in Ida monte, quo se Jupiter contulisse dictus est XI, 183, neque adhuc inde in Olympum revertit, id quod XVI v. 677 demonstrat. Atqui Juno visitaverat quidem in Ida sedentem, XIV, 283, sed dudum ab eo in Olympum remissa est, XV, 54. 79, unde eam post iterum in Idam reversam esse nusquam poeta dixit. Hanc ob causam Zenodotus totum hoc Jovis cum Junone colloquium, a v. 432—459, pugnare cum reliqua narratione ideoque pro insiticio habendum esse iudicavit, cui equidem assentiri malo, quam Aristarcho illum reprehendenti, quod nescierit ὅτι πολλὰ κατὰ συμπέρασμα λέγει ὁ ποιητὴς γεγονότα, καὶ οὐ δέον ἐπιζητεῖν, πῶς ἡ μικρὸν ἔμπροσθεν ἐπὶ τὸν Ὄλυμπον παρακεχωρηκυῖα νῦν ἐπὶ τῆς Ἴδης ἐστί. Non defuerunt tamen ex recentioribus, quibus haec defensio satisfaceret, quorum unus insuper addidit, tam artam Graecorum opinione coniunctionem Junonis cum Jove fuisse, ut, licet illa antea discessisse ab eo dicta sit, nihilo minus tamen nunc quasi praesens induci potuerit. Tam promptos ad credendum animos de huiusmodi propugnaculis deiicere frustra coneris. Ceterum cohaeret hic locus cum altero haud minus suspecto, XVI, 666, in quo item Zenodotus non iniuria haesitavit, licet medicinam non satis prospere tentaverit. Jupiter enim, quemadmodum paullo ante Junonem, sic nunc interfecto Sarpedone Apollinem alloquitur, quem in Ida versari non magis quam illam poeta indicavit. Hinc Zenodotus pro eo quod nunc legitur, καὶ τότ᾽ Ἀπόλλωνα προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς, sic potius scribendum suasit, καὶ τότ᾽ ἄρ᾽ ἐξ Ἴδης προσέφη Ζεύς ὃν φίλον υἱόν, delcto simul versu 677, quo ab Ida descendisse Apollo dicitur. De correctione ista contenderc nolumus cum adversariis Zenodoti, quibus ridiculum videbatur, Jovem ex Ida monte Apollinem absentem inclamare; quum vero addunt, ὅτι τὰ τοιαῦτα κατὰ τὸ σιωπώμενον ἐνεργούμενα δεῖ προσδέχεσθαι, ad idem rursus defensionis genus confugiunt, quod mihi quidem, quanto saepius in unius narrationis tenore adhibendum est, tanto magis suspicionem movet. Illud certe manifestum est: si omnem hanc de Sar-

pedone narrationem ab hac, cui nunc inserta est, parte Iliadis seiunctam legeremus, nemo non Jovem cum Junone, Apolline ceterisque deis in Olympo, ut assolet, versantem agnosceret. Quid igitur causae est, cur non rem sic etiam ab eo, qui primus haec cecinit, propositam fuisse credamus, postea autem, quum visum esset hanc narrationem huic rhapsodiae inserere, a diasceuastis additum esse versum 677, quoniam scilicet haec pars Iliadis Jovem in Ida sedentem poscere videretur? Est praeterea aliud quid in hac narratione non inscite a Zenodoto notatum: iniunctum Apollini munus cadaveris curandi, parum illud conveniens huius dei personae. Neque tamen propterea ille omnes hos versus, a 666 ad 683, eiicere ausus est, quemadmodum Heynius credidit. Hoc autem pro certo affirmare licet, si quis totum hunc locum de Sarpedonis certamine, morte et in Lyciam deportatione plane resecuerit et ex hac Patrocliae compage removerit, nihil ad integritatem reliqui carminis defuturum esse. — Insiticium haud dubie etiam alterum Jovis cum Junone colloquium est post mortem Patrocli, XVIII, 356—386, de quo post Wolfium, prolegg. p. CXXX, plerique nunc consentiunt, praeter Bothium, Spitznerum, Faesium. Quod autem in scholiis legimus, ἡ διπλῆ, ὅτι κατὰ τὸ σιωπώμενον ἐξ Ἴδης εἰς Ὄλυμπον γέγονεν ὁ Ζεύς, καὶ οὐ ξενιστέον ὅταν λέγῃ (ὁ ποιητὴς) κατὰ συμπέρασμα, apparet hic quoque quaesitum fuisse, ubinam Jupiter et Juno una esse putandi forent, in Idane an in Olympo. Reversum autem ab Ida in Olympum Jovem iam XVII, 167. 8. et 545 agnoscimus, de cuius reditu quum disertius exponere poeta supersederit, est sane hoc verum reticentiae exemplum. Neque tamen hinc illud colloquium Jovis cum Junone minus suspectum fit, cuius damnandi aliae causae gravissimae sunt, de quibus quoniam dudum ab aliis, et nuper etiam a Nitzschio expositum est, nunc a nobis dici nihil attinet. — Non levem offensionem habet etiam XV, 668, ubi subito Minerva caliginem ab oculis Graecorum discussisse dicitur, quae quando et quo modo et a quonam offusa fuerit, nusquam antea indicatum est. Itaque huic quoque loco nonnulli reticentiae figuram adhibuerunt: scilicet hoc ipso, quod discussa caligo dicatur, satis apparere, eam antea aliquo modo offusam fuisse, ut licuerit poetae hoc subaudiendum nobis relinquere. Alii, spreta tam frivola defensione, ipsam potius caliginem figurate dictam acceperunt de timore mentes Graecorum quasi occaecante, quem quum Jupiter iniecerit, (v. 593 θέλγε δὲ θυμὸν Ἀργείων), nunc Minerva rursus adimere dicatur. Id recentioribus quibusdam placuit, Koeppenio saltem et Bothio, pracivit autem iam Eustathius, apud quem Minerva est ἡ φυσικὴ φρόνησις, caligo autem ἡ ἐξ ἀθυμίας ἀχλὺς ἡ δίκην νέφους τῷ ἐν ἡμῖν ὀπτικῷ ἐπιπροσθέουσα. Hocine igitur probabimus, an eum potius audiemus, quisquis is est, cuius in schol. Victor. suspicio proditur: λέγοις ὡς λείπει ἄλλα ποιήματα, δι' ὧν ἐδεδήλωτο ταῦτα. Nempe factum est hoc loco idem, quod paullo ante in Hyperenoris pugna cum Menelao factum esse suspicati sumus, ut ex antiquo carmine parte aliqua resecta, nonnulla tamen, quae illuc respicerent, per incuriam relinquerentur. Atque simile quid etiam libro VI, 337 accidisse suspicor, ubi item nonnulli ad illud suum κατὰ τὸ σιωπώμενον confugiunt. Excitatus ab Hectore Alexander, ut in proelium revertatur, paratum se esse, et uxoris quoque blandis hortationibus impulsum respondet, νῦν δέ με παρειποῦσ' ἄλοχος μαλακοῖς ἐπέεσσιν ὅρμησ' ἐς πόλεμον. Atqui de blandis quidem verbis Helenae, quibus illa maritum ad proe-

liandum hortata sit, nihil quidquam antea memoratum est. Oneravit potius Alexandrum conviciis, ignaviam exprobravit, cum irrisione acerbissima „i nunc“ dixit „offer te rursus ad certamen Menelao; sane consultius erit, tali pugna abstinere, ne mox te illius hasta prosternat“ III, 428—436. Haec quam longe a blandis verbis abhorreant, in aperto est. Statuendum igitur aut mentitum esse Alexandrum propter pudorem, aut Helenam post concubitum, quem illi haud invita concessisse videtur, mitigato animo placidius maritum tractasse. Sic visum veteribus, qui παραμυθίαν Helenae, h. e. amicam exhortationem, κατὰ τὸ σιωπώμενόν subaudiri iubent. Sed est alterum in eadem narratione offendiculum. Reprehendit enim Hector Alexandrum, v. 326, quod propter iram proelio abstineat, ipse autem Alexander, v. 335 sqq., quum non tam irae et indignationi, quam dolori se indulsisse respondet, significat tamen haud ambigue, etiam irae et indignationis causam sibi non defuisse. Sed quum nihil huiusmodi ab Homero commemoratum sit, rursus ad coniecturam res redit, ut quae ille disertius indicare supersedit, ipsi subaudire κατὰ τὸ σιωπώμενον conemur. Et praeiverumt iam veteres. Ἡ διπλῆ, inquit schol. A., ὅτι ἄπορον ποῖον χόλον· λύοιτο δ᾽ ἂν ἐξ ὑποθέσεως. μήποτ᾽ οὖν ἀκούων τοὺς Τρῶας καταρᾶσθαι αὐτοῦ ἐχολοῦτο. Et sane invisum Alexandrum Troianis fuisse legimus III, 451, multosque ante eius cum Menelao certamen Jovem invocasse, uter eorum belli auctor esset, is ut vinceretur. Sed nec audivisse haec Alexandrum poeta memorat, et, si forte audivit aegreque tulit, Hectorem tamen mirabimur hanc iram fratris ut cognitam sibi perspectamque eius absentiae causam statim memorantem. An dicemus hunc simulate loqui, parcentem scilicet coram Helena fratris pudori, ideoque iram dicere, quum ignaviam potius cogitaret, illum autem hanc simulationem libenter arripere? Id quoque nonnullis placuit. Sed verior ratio haec esse videtur, ut dicamus, de ira et indignatione Alexandri disertius dictum fuisse in vetere carmine, cuius haec una pars de revocato in proelium Alexandro in hanc nostram Iliadem recepta sit.

Proposita haec a me sunt non eo consilio, ut omnes id genus locos, quibus explicandis illam reticentiae figuram veteres critici aut recte aut secus adhibuerunt, singulatim persequerer, sed ut proluderem quodammodo accuratiori quaestioni de finibus eius figurae apud Homerum regundis. Nam si reticentiam appellamus ubicunque aliquid, quod dici debuisse videatur, non tamen dictum sit, verendum est, ne paullo plura huius generis in Iliade praesertim deprehendantur, quam quae adhuc a criticis hoc nomine notata sunt. Sed intricata quaestio erit propterea, quod quid debuerit ubique dici, quid non debuerit, decerni plerumque non poterit, nisi de consilio poetae operisque descriptione ad hoc consilium accommodata constiterit: de consilio autem et descriptione Iliadis haudquaquam adhuc inter viros doctissimos constare, quis nescit? Coaluisse eam ex compluribus carminibus, hoc quidem omnes nunc consentiunt; sed qua ratione coaluerit, quidve eius compositor in operis designatione sequutus sit, permagna est dissensio. Alii enim omne illius consilium in eo substitisse arbitrantur, ut una actio primaria ab initio ad exitum naturali quodam ordine probabiliter deduceretur, subiunctis aliis quasi secundariis actionibus, quae cum illa necti commode posse viderentur, utque adscisceretur ex Iliacorum carminum mul-

titudine si quid huic consilio aut sua sponte accommodatum esset, aut accommodari facile posset. Alii contra eum non hoc solum spectasse volunt, ut probabilem exhiberet actionum seriem et connexionem, sed ut quasi speculum quoddam proponeret vitae humanae, ad delectandos non magis auditorum animos, quam ad movendos salubriter et monendos comparatum. Igitur huc eum omnia retulisse, ut admonerentur heroum exemplis auditores, quae esset humanitatis condicio, qui modus in rebus, qui fines, quos egredi mortalibus non liceret; eique consilio quum cetera, tum Achillis maxime personam accommodatam esse. Proponi enim hunc initio quidem facta sibi iniuria non immerito iratum, mox, quum modum in ira excedat et ne satisfacienti quidem cumulate adversario placetur, gravem ipsum culpam contrahere: hanc graviorem fieri eo, quod in summo rerum discrimine nonnihil quidem, neque tamen quantum deberet de pertinacia remittat, quamobrem mox ei poenam imponi, gravissimo ipsi vulnere amici morte inflicto, ad quam vindicandam quum rursus supra modum in eius interfectorem saevisset, postremo tamen deorum ipsorum obiurgatione Priamique senis precibus et admonitione ad moderationem humanaeque sortis recordationem revocari. Praedicant autem quum sapientiam poetae, qui tale potissimum argumentum tam grave tamque tragicae cuiusdam dignitatis plenum ex omni Troicarum fabularum multitudine sibi tractandum elegerit, tum vero singularem prorsusque divinam artem in ipsa eius tractatione. Quippe ingentem rerum varietatem sic tamen esse dispositam, ut unitas argumenti nusquam non appareat, secundarias partes omnes uni primariae actioni apte implicatas, ut ei illustrandae mirum quantum inserviant, actuum quasi in dramate progressum, ut a protasi per epitasin variasque peripetias ad catastrophen denique perveniatur: in moribus vel deorum vel hominum effingendis summam sollertiam et aequabilitatem, in describendis rebus et quasi ante oculos ponendis admirabilem perspicuitatem, denique in omni orationis conformatione atque habitu nativam et sinceram elegantiam omni laude maiorem. Haec autem omnia eiusmodi esse, quae effici nisi unius summi poetae ingenio non potuerint, qui licet aliorum poetarum carminibus in operis sui compositione usus sit, — cuius rei passim indicia deprehendi, — sic tamen iis usum esse, ut ex alienis sua faceret, suam iis notam imprimeret, suam quasi animam inspiraret. Atque sic tantam evasisse Iliadis unitatem, tamque indissolubilem partium compagem, ut si quis hanc a se dissolvi variorumque, quae intexta sint, carminum antiquam et nativam formam agnosci posse confidat, — id quod Lachmannus aliique voluerunt, — is nimio acumine caecutire intelligendoque nihil intelligere dicendus sit.

Haec atque talia quum nuper a Nitzschio accurate, ut solet, et copiose disputata legerem[3]), non sane mediocriter me commotum esse fateor. Nam plurima inesse videbam, de quorum veritate neque ego dubitarem neque dubitari ab aliis posse iudicarem. Ab his autem ille profectus viam sibi munivit ad alia, quae minus in confesso erant, probanda, omnibusque rebus, quae causae suae aliquo modo prodesse possent, summa cum diligentia collectis et in uno conspectu positis assentiri sibi lectorem quodammodo coegit. Ego

3) Die Sagenpoesie der Griechen kritisch dargestellt. B. 1. Die Homerische Kunstepopoee in nationaler Theorie. Braunschw. 1852.

certe sic me affectum inter legendum sentiebam. Posito tamen libro quum ad Homerum ipsum redirem, multae rursus se offerebant dubitandi causae, neque eadem rerum facies videbatur in Iliadis contextu, quae fuisset in Nitzschii disputatione. Ne multa: assentior viro doctissimo de universa Iliadis compositione hactenus certe, ut similem quandam carminis descriptionem, quam quae a Nitzschio designata est, cum tali argumento summaque sententia etiam veteris poetae animo obversatam fuisse credam; non assentior autem de summo omnibusque numeris absoluto compositionis artificio. Nam quum Nitzschius intexuisse quidem poetam Iliadi aliorum carmina aut carminum partes fateatur, verum sic eum haec omnia intexuisse autumet, ut prorsus sua fierent et ad totius carminis argumentum et consilium plane accommodarentur, ego contra eum intexuisse nonnulla arbitror etiam minus accommodata, quorum loco, si totum carmen ipse faciendum, non etiam ex alienis concinnandum suscepisset, alia fortasse aptiora legeremus. Non de talibus loquor, quae tanquam insiticia et compositae iam Iliadi ab interpolatoribus addita dudum vel ab aliis vel ab ipso Nitzschio notata sunt, quibus resectis non officitur sed consulitur carminis integritati; sed esse quasdam carminis partes aio plane necessarias et quas resecari salva reliquarum compage non posse appareat, neque tamen tales, quales esse deberent. Complura huius generis iam ab aliis animadversa sunt: ego nunc in iis me continebo, in quibus ista, de qua dicere coepi, reticentia agnoscenda erit, hoc est ubi non dicta sunt, quae dicenda fuisse videantur.

Librum secundum legenti semper illud mihi permirum visum est, quod simul atque Graecorum copiae ex castris in campum eductae sunt, statim etiam Troiani urbe relicta ad proelium procedunt, id quod antea nunquam facere soliti erant. Nam post primum illud certamen, quo egressos navibus Graecos frustra repellere conati sunt, — quo certamine Protesilaus, qui primus omnium de nave desiluit, occisus esse dicitur II, 701, — per omne reliquum tempus tantus fuerat apud eos terror tantaque virium diffidentia, ut tolerare obsidionem quam in pugnae discrimen se committere mallent. Certe nunquam universis copiis conflictatum est, paucae fortasse per occasionem ex urbe eruptiones factae: quum Graeci, praeterquam quod illos obsessos tenebant, crebro etiam longinquiores excursiones tuto susciperent sociasque urbes expugnarent, in quibus Thebas, Lyrnesum, Pedasum aliasque non paucas. Nam tres et viginti a se captas et direptas esse Achilles gloriatur IX, 328. Unde igitur nunc haec subita audacia? Ridebunt haud dubie multi sic quaerentem, ut qui non perspiciam, id quod in aperto sit, antea Troianos metu Achillis perculsos moenibus se continuisse, nunc autem, hoc metu dempto, non amplius certamen detrectare[4]). Sic enim non solum Achillem glorianten audimus IX, 352, sed confirmatur res etiam Neptuni testimonio XIII, 105, ipsiusque Agamemnonis ceterorumque principum confessione IX, 116 aliisque locis. Nolo quaerere, cur ne absente quidem in expeditionibus Achille decertare cum iis ausi sint, qui in castris remansissent: nam responderi poterit, nescivisse eos, utrum abesset ille an non, nunc autem certiores

4) Cf. Nitzsch. l. l. p. 202.

factos de eius ira utque abstinere in totum bello decreverit, reliquos non iam pertimescere. Sane sic ut statuatur omnis oeconomia carminis flagitat; sed, nisi fallor, flagitabat non minus artis lex, ut id etiam diceretur, neque incommodus ad dicendum locus erat in Iridis oratione, quum ea Jovis mandato Troianos Graecis obviam ire iubet, II, 786—806. Nunc autem Iris nihil nisi incredibilem hostium multitudinem memorat, quae res terrorem potius Troianis quam animos addere debuisse videtur; illud contra, quo uno haec insolita ad decertandum audacia credibilis fieri potuit, ne verbo quidem tangit. Reticentiam igitur poetae in hac parte narrationis nemo non poterit agnoscere, neque defuturos esse credo, qui hanc non modo non mirandam, sed, si ipsis ita placuerit, etiam laudandam esse rationibus acutulis demonstrent. Interim tamen, donec veriora edoctus fuero, profiteor equidem hanc mihi narrationem non sic ut par erat ad reliquam carminis oeconomiam accommodatam videri, sed prodere alium poetam, cui non eadem, quam supra descripsimus, rerum Troianarum condicio habitusque animorum obversaretur.

Mira et incredibilis quaedam Troianorum cupiditas pugnandi etiam libro IV nos advertit. Antea enim, quum convenisset de singulari certamine Alexandri et Menelai, non modo magnopere omnes gavisi esse dicuntur, quod sic gravissimo bello finem imponi posse sperarent, III, 111. 112, sed posteaquam superatus Alexander a Menelao, morti autem Veneris auxilio ereptus est, tantum fuisse legimus Troianorum in Alexandrum odium, ut libenter eum, si potuissent, dedituri fuissent, III, 451 sqq., postulantique deinde Agamemnoni, v. 458, ut ex pacto Helenam victori reddant, nemo obloquitur. Neque sane dubium esse potest, quin qui vel interfecto Alexandro laetaturi vel ad dedendum parati fuissent, pactionem saltem implendam esse consenserint. Sed ecce Pandarus spreta foederis fide occidere Menelaum conatur, gratum id non modo Alexandro sed Troianis omnibus fore sperans, IV, 95; ceteri autem vix emissa ab eo sagitta vulneratoque Menelao summo consensu, et ne expectato quidem ducis imperio, arma Graecis inferunt v. 221. Certe nulla alicuius imperii mentio fit, neque credibile est Hectorem, qui ductabat exercitum, sic imperaturum fuisse, omni foederis fide ac religione violata: pugnaret enim hoc cum viri moribus, quales in tota Iliade cognoscimus, neque unquam perfidiosam pacti violationem a quoquam huic imputari videmus. Est igitur etiam in hac narratione aliquid haud dubie offendiculi: quid rei actum sit, poeta refert; causas autem et rationes, cur sic agi potuerit, explicare supersedit. Habebunt ergo hic quoque interpretes, in quo coniectandi sollertiam ostendant [5]) et quae ille reticuit potuisse aut etiam debuisse reticeri nos edoceant. Ceterum ego omnem hanc partem Iliadis, a III, 14 ad IV, 446, si abesset, non magnopere desiderarem, in qua ut sint nonnulla ad universam Iliadis compositionem satis apta, velut τειχοσκοπία et Agamemnonis ἐπιπώλησις, de quibus nolo nunc contendere, nihil tamen ho-

---

5) Viam monstrabunt schol. ad IV, 221: διὰ τί οἱ Τρῶες, εἴπερ πάλαι καταθέσθαι τὸν πόλεμον ἐβούλοντο, οὐ ζητοῦσι τὸν βαλόντα, ἀλλ' εὐθὺς ὁρμῶσιν ἐπὶ τὰ ὅπλα; ὅτι ᾤοντο βουλῇ τῶν βασιλέων πεπρᾶχθαι τὴν παράβασιν· καὶ εἰ μὲν τέθνηκε Μενέλαος, κρατήσειν τῶν Ἑλλήνων ἤλπιζον διὰ τὴν ἐπ' ἐκείνῳ λύπην καταπεπτωκότων, εἰ δὲ μή, κἂν φθάσαι ἀόπλοις αὐτοῖς ἐμπεσεῖν. διὰ τί δὲ πάλιν Ἕκτωρ οὐκ ἐζήτησε τὸν βαλόντα; ὅτι οὐκ ἦν ἀναλαβεῖν τὸ πταῖσμα ἅπαξ Μενελάου τρωθέντος.

rum necessarium esse apparet, suntque alia aut prorsus otiosa nulliusque ad rem summam momenti, aut etiam eiusmodi, quae cum aliis partibus conciliari vix posse videantur. Ex hoc genere est Jovis illa deliberatio, lib. IV. init., quum consultandum ait, implerine pactionem et pacem inter Graecos et Troianos componi, an bellum redintegrari placeat. Nam oblitum se esse ostendit non solum veteris cuiusdam promissi, quo Junoni excidium Troiae spoponderat, sed hesternae quoque pollicitationis, quum se iniuriam Achillis magnis Graecorum cladibus vindicaturum esse Thetidi annuit, id quod perfici nisi bello redintegrato non potuisse apparet. Itaque qui hanc partem tuentur, non serio Jovem sed simulate loqui volunt, lacessentem per iocum uxorem filiamque, quas maxime Troianis infestas esse sciebat, dilaudantque poetae inventionem, qui sic, ante quam ipsius belli casus narraret, patefieri etiam hoc voluerit, quonam animo erga utrosque dei essent [6]. Et sane patefiunt implacabiles Junonis et Minervae in Troianos irae, quae satiari nisi horum interitu non possent; sed unde tantae animis caelestibus irae, hoc non patescit. Scilicet nihil opus erat id exponi, vel quod non ignoraretur ab auditoribus, vel quod non requireretur, vel etiam propterea, quod, si satis iustas illae causas irarum haberent, minus iustus Jupiter videretur, qui dignam poenam Troianorum tam aegre tamen concessisset et tam lente exigeret. Itaque hoc genus reticentiae non modo non mirandum, sed laudandum potius autumant. Nolo contra dicere, neque illud nunc quaerere, num non talis quaedam ratio iniri potuerit, quae non conniventem quidem Jovem, sic ut nunc videri necesse est, ad Troianorum iniurias, sed tardum tamen ad ulciscendum monstraret, quo scilicet illis poenitentiae tempus foret. Nam fateor mihi omnem hanc quaestionem non magnopere ad huius carminis argumentum pertinere videri, quippe quod non in universo bello Troiano eiusque causis et eventu, sed tantum in Achillis ira eiusque expiatione versetur.

Magis huc pertinet Jovis consilium de Achillis ultione. Affectus hic erat ab Agamemnone gravi sane et contumeliosa iniuria, ad quam ulciscendam matris auxilium implorat. Mater Jovem adit, contumeliam filio factam conqueritur, petit ut honori eius Jupiter consulat eamque ob causam Troianis victoriam tantisper concedat, donec Achilli satisfactum fuerit. Jupiter diu tacitus sedet; tandem iterum precibus fatigatus facturum quidem se quod illa petiverat pollicetur, sed aegre tamen id a se impetrari fatetur propter Junonem Troianis infestam eorumque successum graviter laturam. In hac narratione, si sola per se spectetur, nihil esse, quod reprehendi aut desiderari possit, equidem lubens agnosco; sed mirabor, si etiam satis accommodata dicetur ei rationi, qua omnem Iliadis compositionem contineri audimus, ut vindex humanae iniuriae et ὕβρεως numen deorum appareat. Nam profecto non valde promptum ad ὕβριν Agamemnonis castigandam hunc Jovem esse videmus, quam ut castiget non sua sponte et iustitiae amore, sed Thetidis gratia veterumque beneficiorum ab ea acceptorum memoria vix tandem et paene invitus permovetur. Itaque nisi Thetis pro filio intercessisset, impunita, per Jovem certe, Agamemnonis iniuria fuisset. Ipsa autem eius poena talis

---

6) Nitzsch. l. l. p. 199.

est, qua non is tantum, qui deliquerat, sed ceteri quoque omnes, et gravius quidem, plectantur, quorum tamen culpa omnis in eo constitit, quod fieri a rege iniuriam passi sunt, si haec culpa dicenda est, ac non potius regiae maiestatis reverentia. Sic igitur paullo diversam hanc Jovis personam esse fatendum erit ab ea, quae esse deberet apud poetam iustitiae divinae in ὕβρεως castigatione exemplum proponere volentem. Nam quod quis opponat, non fuisse Jovem Themidis precibus obsequuturum, nisi etiam iustitiam causae approbasset: fieri sane potest ut verum sit, potest autem etiam, ut falsum. Hoc autem manifestum esse arbitror, poetam, si talem Jovis mentem atque animum cogitari ab auditoribus voluerit, illud ipsum, quod unum maxime ad rem pertineret, non debuisse sic per reticentiam obscurare.

Vix aliter iudicari poterit de illis partibus Iliadis, ubi de Achillis ipsius culpa eiusque castigatione dicendum fuit. Agamemnon enim, successu Troianorum perculsus et graviora metuens, nihil non tentandum esse statuit, quo illum sibi reconciliet. Missis igitur legatis, totius exercitus principibus et Achilli amicis, poenitere se peccati sui profitetur idque quantum possit correcturum: nam non munera solum missurum longe amplissima, additurumque insuper alia, si hostes victi forent, nec restituturum solum Briseidem, quam intactam a se esse iureiurando affirmat, sed suam ipsius filiam in matrimonium daturum cum dote, quantam nunquam quisquam genero contulerit, ponat modo ille iram laborantibusque suis opem ferat. Achilles contra neque culpae confessione neque muneribus oblatis honori suo satisfactum ratus, neque amicorum precibus et communi periculo motus, negat se unquam in gratiam cum eo rediturum, a quo tam graviter offensus sit, neque arma adversus hostes sumpturum, nisi eos in suas ipsius naves impetum facere ignemque iis inferre viderit. Sic legati re infecta redeunt. Postero die redintegratur proelium; aliquamdiu vario Marte dimicatur, mox autem vulneratis Agamemnone, Diomede, Ulixe, et cedere proelio coactis, Troiani victores in ipsa Graecorum castra irrumpunt navemque Protesilai incendunt. Ita demum propinquo periculo Achilles occurrendum esse intelligit, ipse tamen ut arma sumat ne nunc quidem animum inducit, sed Patroclo, amico suo, permittit, ut is, suis armis indutus, cum Myrmidonibus obviam hostibus eat, hac tamen lege, ut repellere eos a castris contentus longius instare nolit, sed statim ad se revertatur, partim quidem saluti Patrocli prospiciens, maxime autem, ne, si plus effectum foret resque Graecorum in melius vertissent, ipsius opera minoris aestimetur suoque aliquid derogetur honori. Patroclus tamen successu elatus haec mandata negligit, Troianos longius persequitur et usque ad urbem repellit, donec tandem ab Hectore et Euphorbo obtruncatur. Nunc demum frangitur Achillis animus, hoc gravissimo vulnere accepto, nunc pertinaciam suam damnat nihilque amplius quam arma et proelium poscit, quo mortem amici ulciscatur. — Est profecto haec rerum series eiusmodi, quam facile credas idcirco sic a poeta contextam esse, ut pro exemplo esset, quam invisa caelestibus immoderata illa mortalium animorum elatio, quamque ipsis plerumque, qui modum excederent, perniciosa esset; et tamen, si verum dicere volumus, in ipsis carminibus aut nulla aut perparva huius rei indicia deprehenduntur. Unus est locus, ubi implacabilem

odii acerbitatem iramque nimis pertinacem improbari a divis et castigari audimus, in Phoenicis oratione, qua is Achillem placare frustra conatur, IX, 502—514; et passim vel in eodem libro IX, vel in Patrocli oratione lib. XVI, obiurgatur Achilles tanquam nimis durus atque inhumanus. Sed illum locum in Phoenicis oratione Nitzschius nuper (p. 129) in suspicionem vocavit, tanquam ab interpolatore aliquo insertum, quod si ita est, nihil est in tota Iliade, quod aliquo modo divinam animadversionem castigandique Achillis consilium significare dicamus. Immo Jupiter ipse sic loquens inducitur, ac si non satis consultum Achillis honori censeat, nisi victores Troiani in castra adeo Graecorum irruperint, VIII, 471—477. cf. XV, 63. Itaque si illud tamen cogitari ab auditoribus poeta voluit, hic quoque reticentia quadam eum usum esse fatendum erit. Forsitan autem sic potius se res habeat, ut veteribus illis, qui primi haec carmina cantarunt, tale quid ne in mentem quidem venerit, is autem, qui postea hoc Iliadis corpus concinnavit, si forte in mente habuerit, non tamen sic illa, quae composuit, mutare ac refingere potuerit, ut plane omnia ad hanc rationem accommodarentur. Quid? quod sunt etiam quae cum ea pugnent. Nam quum cardinem rei in legatione illa Agamemnonis verti appareat, qua spreta Achilles modum humanitatis excessit, haec ipsa tamen legatio illi, qui Patrocliam h. e. librum XVI composuit, ignota fuisse videtur. Sic enim loquentem facit Achillem v. 71: *τάχα κεν φεύγοντες ἐναύλους πλήσειαν νεκύων, εἴ μοι κρείων Ἀγαμέμνων ἤπια εἰδείη,* quae verba vix aliter accipi possunt, quam ut Agamemnonem nunc quoque pariter quam olim iniquo erga se animo esse dicat. Id autem qui potuit dicere de eo, qui paullo ante cupidissimum se ostendisset gratiae reconciliandae suamque adeo filiam in matrimonium obtulisset. An suspicari eum dicemus, spreta hac condicione fieri non potuisse, quin Agamemnonis animus rursus a se abalienaretur? At, opinor, hoc tamen non ignorabat, omnem illi spem salutis in suo auxilio positam esse, idque eum, si posset, libenter nunc quoque iisdem quibus antea condicionibus redempturum. Itaque res Graecorum non eo afflictae sunt, quod etiamnunc Agamemnonis animus ab Achille abalienatus est, sed quod placare eum, quum vellet, non potuit, rectiusque igitur dicendum fuit *εἰ ἐγὼν Ἀγαμέμνονι δίῳ ἤπια εἰδείην*, quam *εἴ μοι κρείων Ἀγαμέμνων ἤπια εἰδείη.* Sensit etiam Nitzschius, p. 181, haec verba rei non congrua esse, nec profici quidquam, si quis forte *ἄρτια* pro *ἤπια* reponat: nam non sane aptior sic fiet sententia. Itaque ne tamen pugnet haec pars cum ea narratione, quae est in *Λιταῖς*, lib. IX, versum illum 71 et complures cum eo connexos deleri iubet, ut ab interpolatore insertos. Nimirum sic saepe criticos etiam prudentissimos agere videmus, ut, si quid ipsorum rationibus minus conducat, id interpolatorum fraudi aut stultitiae imputent, quasi vero illi caeco quodam impetu, non aliqua saltem, quamvis saepenumero falsa, ratione permoti Homerum interpolaverint, qua de re Nitzschius ipse accurate et subtiliter disseruit p. 132 et 168. Hoc autem loco quae ratio aut qui error iudicii permovere quemquam ad interpolandos illos versus potuerit difficile dictu est. Neque illud viro eximio concedere possum, versibus 69—79 deletis reliquam orationem multo concinniorem atque elegantiorem evadere. Nam quod ait, enuntiationem illam, quae incipit a verbis *εἰ δὴ κυάνεον Τρώων νέφος ἀμφιβέβηκε,* si causam continere dicatur, cur Patroclum Achilles mittat, —

id quod in hoc, qui nunc est, verborum contextu necesse est, — longiorem esse, quam eiusmodi causae expositionem esse deceat, nec recte concludi, sed quasi dissolutam procurrere, fateor me non satis intelligere. Quattuor enim versibus absolvitur, et constructionem habet simplicem atque planam. Quod autem deletis illis versibus 69—79 mutatoque sic orationis contextu verba illa protasin fieri vult ad eam apodosin, quae incipiat v. 80, ita tamen, ut in hoc versu pro ἀλλὰ καὶ ὥς scribatur ἀλλ' ἄγε δή, velim scire, quam ob causam hoc ἀλλ' ἄγε δή, si scriptum olim fuerit, ab interpolatore in ἀλλὰ καὶ ὥς mutatum esse credatur. Nam etiam post illos versus recte ἀλλ' ἄγε δή dici potuit; contra hoc ἀλλὰ καὶ ὥς minus expeditam habet explicationem, quo minus ab interpolatore tanquam aptius illis versibus pro illo altero positum videri potest. Sed quo planior res fiat, omnem huius Achillis orationis dispositionem contemplemur. Igitur Achilles, cui nimiam atrocitatem et inhumanitatem Patroclus obiecerat, exorditur ab irae suae excusatione iniuriaeque ab Agamemnone sibi factae commemoratione, v. 52—59. Sed, inquit, omittamus haec: (ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν): intelligo iam iram sine fine retineri non posse, quamquam statueram sane me nunquam de ea remissurum esse, nisi quum ad meas usque naves hostes penetrassent. Tu ergo indue arma mea et Myrmidones ad proelium educ, quandoquidem iam Troiani in castra irruperunt, v. 60—69. Fatetur igitur Achilles se iam non prorsus persistere in priore sententia posse, sed hactenus saltem remittendum videre, ut Patroclo, quod is a se petiverat, facere concedat. Mutatae sententiae causa posita est in Troianorum victoria Graecorumque clade: haec igitur commemorari conveniens erat, nec iusto longiorem hanc commemorationem videri, iam supra dixi. Nunc autem his commemoratis quid mirum, si etiam cur tantum Troiani potuerint, non praetermittit? οὐ γὰρ ἐμῆς κόρυθος λεύσσουσι πρόσωπον, inquit v. 70: non terrentur amplius meo adspectu. Nam profecto statim repellerentur cadaveribusque suorum fossas complerent, si Agamemnon aequo adversus me animo esset, (εἴ μοι κρείων Ἀγαμέμνων ἤπια εἰδείη), h. e. si me placare, ut par erat, mihique satisfacere propter iniuriam voluisset. Sed nunc illi in castris pugnant: nam nec Diomedes amplius eos arcere potest, nec Agamemnon, sed Hectoris voce inflammantur, campusque omnis alacri eorum clamore personat, v. 70—79. In his omnibus nihil est, quod quis aut huic tempori aut Achillis personae ac moribus minus conveniens esse arguat. Sequitur iam necessario, ut, quid fieri a Patroclo in tali rerum statu velit, eloquatur. Quamvis, inquit, haec ita sint (ἀλλὰ καὶ ὥς), navibus quidem periculum fortiter defende, ne his incensis reditu aliquando in patriam excludamur; sed cave tamen ne plus facias quam tibi mando: ubi de navibus hostes repuleris, ulterius persequi noli, sed porro dimicare in campo cum Graecis sinas, v. 80—96. Manifestum est autem, illud ἀλλὰ καὶ ὥς v. 80 non pertinere ad solum proximum membrum, νεῶν ἀπὸ λοιγὸν ἀμύνων ἔμπεσ' ἐπικρατέως, sed potius ad universum Achillis praeceptum, cuius duae sunt partes, altera, qua concedit quantum efficere Patroclo permittat, altera, qua interdicit, ne plus facere velit: atque haec altera pars praecipue

quodam modo inculcatur, ut in qua vere sit μύθων τέλος (v. 83) summaque sententia. Potuit sane hoc etiam apertius fieri, inserta priori membro particula concessiva, νεῶν μὲν λοιγὸν ἀμύνων ἔμπεδ' ἐπικρατέως: neque tamen id necesse fuit, quum ipsa sententiarum oppositio per se satis aperta sit. — Sic igitur ab interpolationis suspicione hunc locum satis vindicatum arbitror, ut iam paullo confidentius repetere possim, non videri, qui hanc partem Iliadis fecit, librum IX de Λιταῖς cognitum habuisse. Nam quod obiiciat fortasse aliquis, in verbis his quae sunt v. 61, ἤτοι ἔφην γε οὐ πρὶν μηνιθμὸν καταπαυσέμεν, ἀλλ' ὁπότ' ἂν δὴ νῆας ἐμὰς ἀφίκηται ἀυτή τε πτόλεμός τε, respici tamen manifesto ad IX, 646, ubi simile quid Achilles profitetur; hoc facile redargui potest notissima observatione, quod φάναι saepenumero etiam de tacita cogitatione dici constat. Ac possit etiam contra quaeri, cur tandem probabilius sit, libri XVI poetae illum librum IX, quam libri IX poetae hunc XVI ante oculos fuisse.

Sed quoniam libri noni mentionem feci, tangam statim etiam aliam quandam offensionem ab hac quaestione non alienam. Nam in consilio principum, quos Agamemnon convocavit, adesse praeter expectationem etiam Phoenicem videmus, hominem adhuc plane nobis ignotum, ut cuius in superioribus libris nulla usquam mentio facta sit. Quodsi quaerimus, quis sit ille Phoenix, ipse nobis paullo post aperit, Amyntoris se filium esse, patria extorrem, a Peleo, Achillis patre, benigne acceptum partique ditionis praepositum, Achilli autem olim magistrum atque custodem, mox, quum is ad bellum mitteretur, comitem additum. Consentaneum est igitur, ut etiam contubernalis Achillis in castris fuisse credatur. Atqui nunc tamen non sic esse videtur. Nam optione ei data ab Achille, utrum abire secum in patriam, an remanere apud exercitum malit, quum se discessurum ab alumno dilectissimo negasset, lectum ei apud Achillem Patroclus sternere iubetur, quasi antea alibi cubare solitus fuerit. Quid igitur? Deseruitne contubernium alumni, quod iram eius improbaret, aliamque sibi stationem cepit inter amicos Agamemnonis, quibuscum nunc in consilio adest? Sic profecto statuendum erit; sed mirabimur tamen reticentiam poetae, id nobis divinandum relinquentis. Nam non certe tam levis res fuit, aut tam ipsa per se ad intelligendum aperta, ut ne mentione quidem digna videretur; et alia longe aut leviora aut apertiora non tamen sic solent silentio praetermitti, sed disertius non raro ac verbosius quam opus erat exponi. Videtur ergo qui hanc rhapsodiam de Λιταῖς composuit Phoenicis personam partim ex ipsa Iliade, XVI, 196. XVII, 561. XIX, 311, partim aliunde sibi notam, ut senis veterisque magistri Achillis, nunc in hac legatione propterea adhibuisse, quod eam suo consilio praecipue aptam videret, idque unum spectans illud alterum, ut eius ab alumno eiusque contubernio discessionem explicaret, neglexisse. Est autem hoc ipsum eiusmodi, quod facilius huius unius partis quam totius carminis poetae accidere potuisse credas: et sunt etiam alia argumenta, quae hanc Λιτῶν rhapsodiam suspectam reddant, de quibus quoniam satis ab aliis expositum est, neque ea ad meum propositum pertinent, dicere nolo.

De proximo libro, qui Dolonia inscribitur, constat nunc fere inter viros doctissimos, non spernendam esse veterum criticorum auctoritatem, qui eum ab Iliade alienum

et a Pisistrati demum amicis insertum esse tradiderunt. Et sunt sane reiiciendi huius libri causae satis graves; una tamen paullo levior haec, quod, qui ad exploranda hostium consilia missi erant, Ulixes et Diomedes, quum revertuntur ad suos, nihil prorsus de exploratione sua renuntiant. Nam nihil illi exploraverant, quod renuntiari necesse esset; idque quum ex universa narratione satis manifestum fiat, etiam disertis verbis a poeta commemorari non opus erat. Quamobrem hanc ego reticentiam non culpandam esse arbitror.

In libro undecimo Agamemnonem, qui paullo ante tam abiecto animo fuerat tantaque virium suarum diffidentia, ut fuga salutem quaeri vellet, prorsus alium prodire videmus. Nulla iam timoris mentio, sed summa ad dimicandum alacritas, tantaque vis ac fortitudo, ut hostes usque ad urbis moenia repellat, videaturque haud dubiam victoriam reportaturus fuisse, nisi multis prostratis adversariis tandem ipse vulneratus excedere proelio cogeretur. Coniicere quidem possumus, qua ratione haec tanta viri mutatio effecta sit: nempe pudor prioris desperationis et magnitudo discriminis stimulos animo eius addiderunt; sed vellemus tamen id etiam a poeta commemoratum esse, quum praesertim epici carminis ratio ipsiusque Homeri consuetudo postulare videatur, ut in huiusmodi rebus, quae gravioris ad actionem momenti sunt, non solum quid egerint homines, sed etiam quibus causis ac rationibus animi eorum ad agendum impulsi sint, disertis verbis indicetur, neque auditorum coniecturae subaudiendum relinquatur. Hanc ob causam etiam Nitzschius, p. 224, deesse aliquid in hac parte iudicat, idque resectum arbitratur ab iis, qui in componenda Iliade inter superiorem narrationem de Agamemnonis desperatione deque legatione ad Achillem placandum missa et hanc de proximi diei proeliis inseruerint librum decimum de nocturna illa exploratione: quod quum tam acri ceteroquin unitatis in Iliade et continuitatis defensori visum sit, nobis profecto non aliter videri debet.

Sequitur longa certaminum series, donec tandem Achilles Patroclo ut laborantibus Graecis opem ferat concedit, eoque occiso ipse rursus arma capit, quam partem Heynius tom. VIII p. 781 non immerito primariam Iliadis et quasi medullam esse dicit. Nam sane summa rerum eiusmodi est, qua careri in totius carminis compositione nullo modo potuisse appareat; sed huic summae multa tamen adiuncta esse fatebimur, quae si abessent non desideraremus, aut etiam mallemus abesse. Tanta enim in brevi spatio coacervatur multitudo rerum et varietas, quam totam animo complecti sine errore aut confusione etiam attento lectori, nedum auditori, difficillimum sit. Posteaqum Agamemnon saucius proelio excessit, moxque etiam Diomedes et Ulixes propter vulnera cedere coacti sunt, Achilles, de navis suae puppi spectando certamini intentus, quum Machaonem videat, item saucium, in Nestoris curru ad castra revectum, neque satis certo hominem agnoscat, Patroclum ire iubet quis ille sit sciscitatum. Is Nestoris tentorium ingressus verboso sermone detinetur, cuius partem longe maximam otiosa et immodica loquacitate molestam esse Nitzschius quoque fatetur, ideoque ut ab interpolatore insertam recidi vult, p. 129. Dimissus tandem a Nestore Patroclus Eurypylo occurrit item saucio, eumque petentem in ipsius tentorium deducit vulnerique curando operam dat, utpote non imperitus medendi. Interim Graeci a Troianis intra murum compelluntur: hi a curribus desiliunt et in quinque

agmina divisi munimenta expugnare conantur, alio aliis locis successu. Nam Asius quidem sinistram castrorum partem adortus repellitur, Hector autem cum suis, neque minus Sarpedon, Lyciorum dux, quamvis resistentibus fortiter Graecis, deiecta parte propugnaculorum et porta effracta in castra introrumpunt. In hoc rerum statu Jupiter, Troianorum fautor, quum adhuc ex Ida monte certamen observasset, iam oculos alio convertit, neminem deorum laborantibus Graecis opem se invito laturum esse sperans. Sed ecce Neptunus, qui et ipse de Samothraciae specula proelium contemplatus erat, occasione utitur ad Graecos iuvandos. Relicta Samothracia Aegas properat, equos currui iungit, per mare ad littus Troianum advehitur, ibique curru relicto proeliantibus se miscet et Calchantis specie assumpta Graecos hortatur, incitat, robore et fortitudine mirabiliter auget. Neque hoc satis. Nam Juno quoque iisdem partibus favens consilium comminiscitur, quo tutius ille perficere quod coeperat possit. Itaque cingulum Veneris mutuata Jovem adit in Ida sedentem, eumque cinguli eius virtute in amplexus suos illicit, ac dein a Somno, quem socium asciverat, consopiri curat. Sic confidentius Neptunus Graecis opitulari pergit, non hortando et monendo, ut antea, sed ipse cum telo divino, et cui resisti a mortalibus non potest, Troianos aggreditur. Ita belli fortuna convertitur: Hector ipse ab Aiace vulneratus animoque deficiens ad Xanthum fluvium reportatur, Troiani autem castris cedere coguntur. Tunc Jupiter somno solutus conspicatusque hanc tantam rerum conversionem graviter uxorem increpat, Neptunum statim proelio excedere iubet, Hectorem autem refici ab Apolline et viribus augeri curat. Sic denuo Troiani superiores fiunt, castra iterum adoriuntur, vallum ab Apolline prorutum facile transscendunt, magnaque in ipsis castris strage edita postremo ignem navibus iniicere parant. Nunc demum Patroclus ad Achillem redit, multisque cum lacrimis exposita Graecorum clade impetrat, ut cum Myrmidonibus ad opem ferendam dimittatur. Haec est brevis summa rerum per quattuor libros, XI—XIV, narratarum: nam praetermittenda fuerunt plurima singulorum certamina, in quibus, etiam si ad totius proelii eventum nullius aut exigui momenti sunt, accuratissime tamen narrandis haud minima illorum librorum pars consumitur, quas narrationes si quis omnes diligenter examinet, non modo multa in iis esse videbit cuilibet alii parti Iliadis non minus quam huic apta, sed nonnulla etiam inveniet aut pugnantia cum aliis aut perquam ad intelligendum difficilia. Velut in castris Graecorum utrum una an plures portae fuerint e certaminum descriptione non certo intelligi potest, qua de re etiam veteres interpretes inter se dissident[7]): item in designationibus locorum, ubi pugnatum sit, conciliari nonnulla cum alibi

7) Aristarchus unam tantum portam maiorem statuebat cum *ἱππηλασίᾳ ὁδῷ* h. e. via qua currus agi possent, concedebat tamen plures fortasse minores *πυλίδας* fuisse. Vid. schol. ad VII, 339 cum Eustath. p. 684, 23 et 689, 39. schol. ad XII, 87 et 175. Et sane lib. VII, 338. 9 et 436—9 non discerni potest, utrum plures portae intelligendae sint an una tantum, siquidem *πύλαι* forma plurali etiam de una porta dicitur, id quod grammatici passim inculcant, simul singularem *πύλη* nusquam ab Homero usurpari monentes. Cf. schol. A. et Eustath. ad IX, 382. Tamen posse *πύλας* etiam plures portas significare nemo dubitat, et ipse contextus verborum Homeri, *τεῖχος ἔδειμαν πύργους θ᾽ ὑψηλούς, εἶλαρ νηῶν τε καὶ αὐτῶν, ἐν δ᾽ αὐτοῖσι πύλας ἐνεποίουν εὖ ἀραρυίας*, indicare videtur, ut plures turres, sic etiam plures portas fuisse, et quidem *ἐν αὐτοῖσιν*, in ipsis turribus. Duae certe portae lib. XII distinguendae videntur. Nam postquam Troiani quinque agminibus factis castra adoriuntur, Asius ad sinistram partem se convertens portam ibi invenit

dictis vix possunt[8]), quumque, qui modo in una parte pugnavit, mox in altera compareat[9]). mireris de hac stationis mutatione nullum verbum a poeta factum esse. Quamquam hoc quidem defendi fortasse possit: in vario et ancipiti certamine etiam discurrendum huc illuc pugnantibus fuisse, neque culpandam poetae reticentiam, si tales discursus non semper diserte commemorare voluerit. Insistere igitur huic rei nolo, nec refragabor, si quis nonnulla tamen eorum, quae primo adspectu aut pugnantia aut obscura videantur, diligentius iterum iterumque considerata clariora fieri et conciliari inter se posse defendat: nam ut sit ita, hoc tamen ipsum, quod multa non nisi diligenter identidem considerata satis intelligi possunt, parum convenire puto carmini ad audiendum non ad legendum facto, et confirmare eorum sententiam, qui hanc nostram Iliadem non sic ab initio compositam, sed postmodo demum ex minoribus variisque carminibus coagmentatam esse volunt. Auditoribus quidem certe melius consultum foret, si illam, ut cum Heynio loquar, medullam carnibus paullo minus luxuriantibus involutam et oblectam acciperent, neque quemquam aegre laturum aut desideraturum aliquid fuisse censeo, si a libri XII fine statim ad XV, 390 deduceretur, omissis versibus amplius mille septingentis. Nam ut nunc est, quem tandem sive auditorem sive lectorem non offenderit tam tarda diuque dilata Patrocli ad Achillem reversio? Scilicet morabatur eum amici vulnerati curatio. Quantillo autem tempore opus fuisse dicemus ad vulnus obligandum, quod leve fuisse res ipsa demonstrat? Interim Graeci fugientes e campo in castra repelluntur, oppugnant castra Troiani, propugnacula deiiciunt, portam effringunt, irrumpunt omnibus copiis, *ὅμαδος δ'ἀλίαστος ἐτύχϑη*, Il. XII, 471. Ille vero, quasi horum omnium nihil aut animadvertat aut magni momenti

---

apertam, scilicet ad recipiendos Graecos e campo in castra fugientes, v. 118 sqq. Hac ille irrumpere conatus repellitur a Lapithis, quod certamen describitur usque ad v. 194. Interim Hector aliam partem castrorum adoritur, v. 195, ibique Polydamas effringendam esse portam monet, quam apparet ab illa, quam Asius adortus erat, diversam esse: idque confirmatur etiam XIII, 675. 679, coll. 751 et 765, qui loci doceot illam sinistram partem castrorum ab eo loco, ubi Hector irruperat portamque effregerat, satis longe remotam esse. Nam quod nonnulli *ἐπ' ἀριστερά* v. 675 non castrorum sed Hectoris respectu dici volunt, haud dubie falsum esse demonstrat v. 326. — Locus Il. XII, 175 *ἄλλοι δ'ἀμφ' ἄλλῃσι μάχην ἐμάχοντο πύλῃσιν* non sine causa pro insiticio habetur; sed ostendit tamen certe etiam rhapsodum, vel quisquis est, qui h. l. interpolavit, plures portas castrorum statuisse. Grammaticorum nonnulli septem volebant (schol. ad VII, 339), alii quinque; e recentioribus alii tribus portis contenti fuerunt, ut Lenzius (Die Ebene von Troia. p. 207.) alii cum Aristarcho fecerunt, ut Heynius tom. V p. 366. 402, et nuper Faesius ad VII, 339.

8) Velut lib. XIII, 681 pars castrorum, qua Hector irrupit, ea est, *ἔνϑ' ἔσαν Αἴαντός τε νέες καὶ Πρωτεσιλάου*, Protesilai autem navis *κατὰ μέσσον* esse dicitur XVI, 285, sicut etiam XIII, 312 Hector, qui ibi irruperat neque inde discesserat, id quod v. 679 testatur, *νηυσὶν ἐν μέσσῃσι* pugnat. Atqui XI, 8. 9 Aiacis naves omnium extremae fuisse dicuntur in altero cornu castrorum, sive id dextrum dicimus, a terra scilicet ad mare descendentibus, sive sinistrum, ascendentibus a littore in campum. Non igitur potuit qui ibi irruperat *κατὰ μέσσον* esse. Itaque Aristarchus illas naves, quae XIII, 681 memorantur, non Telamonii sed alterius Aiacis esse volebat, quod parum verisimile esse apparet. Heynius tom. VI p. 358 locum hunc adulterinum putat. Aliam rationem Lenzius iniit p. 257, transponendis versibus difficultatem removeri posse ratus.

9) Sic XIII, 156 inter eos, qui cum Hectore pugnant, h. e. ad mediam partem muri, ubi ille v. 312 irrupisse dicitur, est Deiphobus, in quem Meriones hastam, quamquam frustra, coniicit. Meriones hasta fracta recedit aliam petiturus, deinde non eodem, ubi antea pugnaverat, revertitur, sed cum Idomeneo ad sinistram partem se confert, v. 326. Sed ecce ibi quoque idem Deiphobus comparet v. 402, qui modo apud Hectorem fuerat, neque reliquisse hanc stationem dictus est. Alia vid. ap. Lenzium p. 255.

esse putet, in tentorio desidens cum amico sermocinatur, XII, 1. XV, 390. Immo, inquit Nitzschius p. 247, animadvertit haud dubie: nam dum curat Eurypylum identidem etiam prospectasse de tentorio et quid ageretur observasse putandus est, sed quum nondum in summo discrimine res Graecorum esse videret, relinquere amici curationem noluit. Atqui coniectura haec est viri acutissimi reticentiam poetae supplentis et quod ab eo, quum dici deberet, praetermissum est, liberaliter de suo suppeditantis. Cui autem credibile videri potest, quum fierent ea omnia, quae modo memorata sunt, quumque iam intra vallum magno tumultu dimicaretur, ne hoc quidem discrimen tanti Patroclum aestimasse, ut statim ad Achillem properaret, sed tum demum excitatum esse, quum iterum eadem omnia fieri videret? Animadvertendum autem etiam hoc est, parum commode in hac nostra compositione Iliadis illas tot tantasque res temporibus descriptas esse. Incipit enim proelium summo mane, XI, 1: aequo Marte pugnatur usque ad id temporis, ἦμος δρυτόμος περ ἀνὴρ ὡπλίσσατο δεῖπνον, v. 86, quae designatio licet non satis definita sit, aliquot tamen certe horas pugnatum esse demonstrat, quum praesertim addatur ἐπεί τ' ἐκορέσσατο χεῖρας τάμνων δένδρεα μακρά, v. 88. Sextam horam, h. e. meridiem, designari putat schol. Vict., quod quamvis falsum videatur, haud nimis longe tamen meridiem abesse ostendunt ipsius poetae verba, quum pugnatum esse aequo Marte dicit ὄφρα ἠὼς ἦν καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ. Nam crescere dies non sane diu ante meridiem desinit. Dehinc iam superiores fiunt Graeci, donec Agamemnon, post hunc Diomedes, moxque etiam Ulixes saucii proelio excedunt. Tum demum repellunt Graecos Troiani et castra adoriuntur. Id circa meridiem fieri consentaneum est[10]). Quodsi nunc statim Patroclum, qui paullo ante ab Achille ad Nestorem missus est, rediisse ac sine mora, impetrata Achillis venia, cum Myrmidonibus contra Troianos profectum sumimus, huic apte congruit, quod XVI, 777 Patrocli contra Troianos proelium et ipsum meridiano tempore factum esse dicitur, ὄφρα ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει. At vero quae nunc post primam valli expugnationem gesta narrantur, Neptuni opera, Junonis dolus et cum Jove concubitus, huius somnus, Hectoris vulneratio, παλίωξις Graecorum, Jovis expergefacti mandata, Hectoris restitutio, instauratio proelii, altera irruptio castrorum, his omnibus aliquantum certe temporis consumi necesse erat, idque tantum haud dubie, ut, si post hanc alteram demum castrorum irruptionem Patroclus hostibus obviam profectus esset, a sano suique ipsius haud oblito poeta huius quoque proelium in meridianum tempus conferri nullo modo potuisset. Sic est profecto, ut dixi: qui XV, 390 sqq. legerit et cum exitu libri XII contulerit, coire haec inter se prorsus apte fatebitur, neque damnum, sed lucrum fieri sentiet omnibus illis, quae nunc intertexta sunt, resectis. Quamquam de damno aliter iudicari a viro doctissimo video p. 241. Is enim non satisfacturum absque illis Homerum fuisse putat popularium suorum studiis et expectationi, quorum tanta fuerit de heroum suorum virtute ac fortitudine opinio, tamque certa de summo deorum erga illos favore persuasio, ut aegre laturi fuissent tam simplicem proelii eventum unamque castrorum expugnationem. Necesse igitur fuisse poetae,

10) Versus Il. XII, 193. 4 et 208. 9. qui castra vesperi expugnatum iri promittunt, Lachmannus (p. 38) eiicit, ut ex XVIII, 454. 5, ubi recte se habent, perperam huc insertos, assentiturque Nitzschius p. 228.

ut multiplicaret pugnandi vices, ut victos Graecos mox rursus, ad tempus saltem, victores faceret, denique ut deos quoque proelio immisceret: quamobrem qui vituperent hanc partem et nimis multa coacervata esse criminentur, perquam iniuste facere. nihilque aliud quam ostendere, nondum sibi contigisse, ut plane in poetae eiusque aequalium et popularium sensus atque animum sese insinuarent. — Ceterum aliquot satis magnas in hac Iliadis parte interpolationes Nitzschius ipse agnoscit. Nam praeter longam illam et loquacem Nestoris narrationem, XI, 664—762, de qua supra dictum est, etiam libro XII omnem illam Sarpedonis ἀριστείαν, quae est a v. 290—429, subditiciam esse concedit, p. 384; quamquam in proximis libris, qui nobis maxime suspecti sunt, praeter paucos quosdam versus nihil magnopere virum egregium offendisse videtur. Illarum autem duarum interpolationum alteram propterea damnat, quod non apta sit ista narratio loco ac tempori, nihilque aut utilis exempli aut admonitionis habeat, alteram autem, quod quae ibi referuntur non satis vel cum antecedentibus vel cum sequentibus conspirent. Atqui hoc quidem alterum genus argumenti quin etiam contra libr. XIII—XV, 389 adhiberi possit, non dubium mihi esse videtur. His tamen Nitzschius carere Iliadem non potuisse iudicat propter illam nescio quam rationem popularem, — sic enim appellare licebit quam ille nationalem theoriam dicit, — quam ab adversariis non satis animadversam esse queritur. Nolo nunc accuratius in hanc theoriam inquirere, quum praesertim rem omnem eiusmodi esse intelligam, quae ad liquidum perduci certisque argumentis demonstrari vix possit. Interim ab hac si discesseris, in universum spectanti paullo plura viro doctissimo cum adversariis communia sunt, quam quis primo adspectu credat. Nam usum esse Homerum in componenda Iliade etiam antiquioribus carminibus, Nitzschius concedit, neque absolutam ab Homero totius Iliadis perpetuitatem esse contendit, sed partes tantum aliquot maiores interno quodam vinculo inter se coniunctas, nondum tamen etiam in unius corporis compagem connexas. Igitur totius Iliadis formam atque unitatem mente atque animo poetae potius designatam, quam re ipsa et compositione carminum perfectam fuisse dicemus, ut ab intelligentibus animadverti fortasse potuerit, minus intelligentes autem latuerit. In horum autem numero etiam eorum non paucos fuisse fatendum erit, qui in ediscendis et recitandis Homeri carminibus toti occupati erant. Nam a rhapsodis multa Nitzschius admixta esse ait partim ex aliis carminibus antiquioribus, quorum non omnem memoriam Homericorum claritas obscuraverit, partim ab ipsis facta, sed ad illam, quam Homerus in mente habuerit, formam totius carminis non satis accommodata. Denique posteaquam dispersa illa membra colligi scriptoque consignari et in unum corpus coniungi coepissent, non pauca huiusmodi rhapsodorum additamenta perperam in ordinem recepta, aliaque etiam passim addita esse ab ipsis compositoribus, quibus additis apertiorem fore singularum partium inter se connexionem mutuamque relationem iudicarent. Horum igitur placitorum pleraque non propria Nitzschio sed cum adversariis communia esse apparet, proprium autem primum hoc est, quod, quum antiquioribus carminibus Homerum usum esse concedat, illis tamen, qui longius etiam procedere ausi sunt, ut quae et qualia illa carmina fuerint certis quibusdam indiciis a se deprehendi, adeoque soluta hac nostrae

Iliadis compage priscam et nativam eorum formam aliquatenus saltem restitui posse sperarent, fortissime obsistit longeque eos a vera ratione aberrasse contendit. Ego me ab illorum secta non tantopere abhorrere profiteor, quamvis in Lachmanni ceterorumque disputationibus non pauca mihi cupidius quam verius posita esse videantur, neque despero fore, ut si quis satis caute ac prudenter procedat, aliquid certi et quod demonstrari satis evidenter possit, tandem inveniatur. — Porro autem de hac nostrae Iliadis compositione Lachmannus pro certo habet, eam non esse Pisistrati temporibus antiquiorem, cuius quidem praecipuam quandam operam hac in re fuisse satis inter omnes constat: neque tamen propterea negat ullum etiam ante Pisistratum Iliadis corpus fuisse. Certe principales quasdam partes ad unitatem maioris corporis primitus factas esse agnoscit, h. e., si recte viri acutissimi sententiam interpretor, fuisse putat quandam Iliadem, sive carmen paullo maius, sed ab hac nostra Iliade multum diversam, partibusque plurimis, quae nunc insunt, carentem. Harum enim plerasque Pisistrati demum opera additas, omninoque hoc, quod habemus, Iliadis corpus pro eo, quod olim fuerit, compositum. Nitzschius contra quum hanc nostram Iliadem longe maxima sui parte dudum ante Pisistratum unius Homeri ingenio atque arte compositam censeat, huic a rhapsodis additamenta quidem passim inserta esse fatetur, neque tamen talia aut tam multa, ut vera atque genuina carminis forma prorsus immutaretur aut obscuraretur. Tantam potius esse artis Homericae praestantiam ac proprietatem, ut, qui hanc recte perspexerit, adhibita praesertim etiam populari illa ratione, facile genuina ab adulterinis discernere possit. Redit igitur res omnis eo maxime, ut quid ars Homeri ratioque popularis poscat aut ferat, intelligatur, atque sic quid huic aptum atque conveniens, quid ineptum et inconveniens sit, diiudicetur. Sed ipsum hoc aptum et conveniens non uno modo aestimatur, et habet quosdam quasi gradus, ut ex pluribus rebus, quarum nullam aptam et convenientem esse negaveris, sint tamen aliae aliis plus aut minus aptae et convenientes. Sunt quibus careri nullo modo possit, quae non solum apta et convenientia, sed necessaria potius dicenda sunt. Alia minus quidem necessaria, sed utilia tamen aut ad ornandum illustrandumque carmen apposita, quemadmodum corporibus nostris natura praeter partes necessarias, et sine quibus vita nostra constare non possit, alias addidit aut ad aliquem quamvis non necessarium usum, aut etiam ad decus formae et pulchritudinem comparatas. Alia denique non quidem inepta, sed eiusmodi tamen sunt, ut neque ad usum neque ad ornatum quidquam conferant, sed abundantia, quae si adsint facile feras, sin absint, non desideres. Hoc genus non pauca in Iliade esse nemo negabit, quae tamen utrum ab Homero an a rhapsodis profecta sint vix certo statui poterit. Sunt autem etiam quaedam quasi medii generis, ex aptis atque ineptis mixta, quae si quis obiter nec nimis diligenter inspiciat, aliquam ab usu aut ornatu commendationem habere videantur, accuratius tamen examinanti aliquid scrupuli iniiciant. Atque ex hoc genere ego hanc partem Iliadis esse aio, de qua dicere coeperam, quae quum Nitzschio ut perapta et populari rationi apprime conveniens magnopere probetur, mihi non modo propter eas, quas tetigi, rationes vehementer displicet, sed etiam propter alias quasdam offensiones. Harum una etiam veteres criticos non fefellit: Pylaemenem dico,

nudius tertius a Menelao et Antilocho interfectum, V, 578, nunc autem filii sui funus cum lacrimis prosequentem, XIII, 658. 9: nisi quis forte iis fidem adiungat, qui duos Pylaemenes in exercitu fuisse statuunt, aut alia longe ineptiora comminiscuntur. Nam ab interpolatore duos versus, XIII, 658. 9, adiectos credi vix licebit, quoniam nulla ne levissima quidem causa talis interpolationis excogitari potest. Magis assentiar, si quis eos versus eiiciat, qui sunt de Neptuno, XIII, 18—38, ut post verba κραιπνὰ ποσὶ προβιβάς statim sequatur ὁ δ' ἄρ' ἐς στρατὸν aut etiam τάχα δ' ἐς στρατὸν ᾤχετ' Ἀχαιῶν. Nam nunc Neptunus — pace maiestatis eius dixerim — nimis se ineptum praebet, qui quum omni modo cavere deberet, ne a Jove animadverteretur, tanto tamen cum strepitu incedit, ut montes silvaeque concutiantur, quasi vero Jovem surdum factum nihilque sensurum confidat. Deinde Troiam properanti quid opus fuit Aegas ante adire, ibique curru conscenso magnifice per aequor vectari? Nonne qui tribus passibus a Samothrace Aegas pervenit, etiam paucioribus passibus Troiam pervenisset? An opus fuit vehiculo, quod, ubi advenit, in littore collocatum relinquit, ipse autem pedibus in castra Graecorum pergit, ibique humana forma assumpta laborantibus succurrit? Denique pugnat etiam hic locus cum v. 352, ubi Neptunus Graecos adiisse dicitur λάθρῃ ὑπεξαναδὺς πολιῆς ἁλός: nam qui tam magnifice per aequor vectus est, cui fluctus cedentes viam aperuerunt, quem belluae marinae exsultantes prae laetitia ut dominum suum consalutaverunt, is profecto clanculum e mari emersisse nullo modo dici debuit. Aut si quis versum 352, ceterosque a 345 ad 360, ab interpolatore insertos credat, quae Nitzschii sententia est, p. 286, certe infra, XV, 219, Neptunum, quum Jovis iussu invitus proelio excedit, vehiculi sui oblitum statim mari se condere videmus. Quamquam hanc quidem non miram, immo laudabilem potius poetae reticentiam esse fateor, quod morari illo loco in minutae rei narratione noluerit: nihil enim opus fuit currum ibi commemorari; sed multo minus supra ipso curru opus fuisse contendo. At pulchra est et splendida vehentis per mare imago. Sane pulchra est, et propter hanc ipsam pulchritudinem ut interpolatori sic aliis multis placuit. Sed nunc non erat ei locus, non modo praeter necessitatem, sed etiam contra probabilitatem concedendus. — Etiam in cohortatione Neptuni ad Teucrum aliosque, v. 95 sqq., sunt quae mallem abesse. Imputatur Graecorum clades Agamemnonis κακότητι, h. e. non ignaviae, sed iniuriae, qua offensus Achilles bello abstinebat, id quod v. 111—113 manifestum faciunt: neque ignaviam illi, qui paullo ante tam eximia virtutis exempla ediderat, exprobrari potuisse apparet. Sed iniuriae quoque illius exprobrationem minus aptam hoc loco nec satis iustam esse arbitror: nam sarcire eam Agamemnon et satisfacere omni modo Achilli paratus fuit, ut iustius nunc huius iniuria, satisfactionem pertinaciter respuentis, quam Agamemnonis culpari potuerit. Nisi dicamus, hunc quoque poetam, itidem ut illum, qui XVI, 73 fecit, de quo supra dictum est, Agamemnonis λιτὰς ignorasse. Id sane mihi non improbabile videtur, et confirmare hanc suspicionem etiam v. 115 poterit, ἀλλ' ἀκεώμεθα θᾶσσον· ἀκεσταί τοι φρένες ἐσθλῶν, si quidem haec verba cum Heynio sic accipimus, ut placandum Achillem Neptunus suadeat, eumque placabilem fore promittat. Quod enim alii designari volunt Graecorum ipsorum segnitiam, quam Neptunus exprobraverat, corrigen-

dam, ut ἀκεσταὶ φρένες dicantur animi eorum, qui peccatum a se esse agnoscant idque emendare studeant, licet non alienum ab hoc contextu, a consuetudine tamen graeci sermonis abhorrere videtur. Ipsa vero illa segnitiae exprobratio, quodque Graeci propter iniuriam Achilli factam abalienatis a rege animis fortem in proelio operam praestare nolle, sed volentes cedere et caedi a Troianis dicuntur, poetam prodere videtur ab eo, qui libros XI et XII fecit, diversum: nam is certe de hac animorum abalienatione et ἐθελοκακία nihil significat. — Versu 211 Neptuno occurrit Idomeneus a commilitone rediens vulnerato, quem medicis curandum mandaverat; quis autem sit ille commilito reticetur, quod genus reticentiae, etiamsi hoc loco non aegre ferendum, abhorrere tamen videtur a consuetudine Homeri h. e. eius poetae, qui meliores Iliadis partes fecit. — Denique XIV, 31. 32 quae de muro navalibus circumdato dicuntur, licet non satis perspicua, eiusmodi tamen sunt, ut murum illum statim belli initio navibus primum in littus deductis circumdatum credi necesse sit. Quod si ita est, ab alio poeta hanc partem factam esse apparet, quam qui libro VIII murum illum ante biduum, idque mira prorsus atque incredibili celeritate intra unius diei spatium exstruxit. — Sunt etiam alia quaedam in hac parte, quae attentum lectorem offendant, partim in rebus ipsis, partim in dictionibus; sed persequi plura hoc tempore non possum, neque opus esse arbitror: nam hoc certe mihi datum iri spero, ut non temere plane neque inconsulto hos libros a vetere Homero abiudicasse dicar. Sunt autem hi ipsi libri haud dubie ex aliis compluribus carminibus Iliacis, quibus Homerus non usus erat, ab aliquo concinnati, qui aut non abhorrere saltem haec additamenta ab Iliade censeret, aut aliquid etiam maioris commendationis habitura propter eam, quam Nitzschius nos attendere iussit, rationem popularem. Neque posthac iis aut defensores aut laudatores defuturos esse intelligo, quum reputo, quae et qualia interpretandi artificia in usum vocari soleant ab iis, qui sibi hanc nostram Iliadem, si totam non possint, at certe quantam maximam possint partem tanquam unius poetae ingenio procreatam et ad unitatem insuperabili quadam sollertia compositam omni modo tuendam esse statuerunt, id quod mihi tanto acrius nonnulli tantoque animosius facere videntur, quanto plura ipsis comminiscenda et, quum non essent in Homero, ex ingenio suo promenda illique contribuenda fuerunt. Indidit enim hanc natura omnibus φιλοστοργίαν, ut etiam in hoc rerum genere quod quisque ex sese peperit id carissimum habeat et placere omnibus cupiat. His igitur non invidebimus: nobis tamen haec Ilias etiam absque illis artificiis sola per se satis placet, propriisque et ingenitis bonis tot ac tantis praedita esse videtur, ut omni dote adventicia carere facile possit.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. IV. Cal. Jul. MDCCCLIII.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

Hora	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
III.	Introd. in Apocryph. semel. Liber Iob quater. Interpret. Apocal. I. P.	Ius ecclesiasticum sexies.	Exercit. anatom. pract. sexies. Ars obstetricia semel. De morbis [illegible]	Historia philosophiae [illegible] quater. Historia medii aevi quater. [illegible]
IV.	Exercitat. hist. eccles. semel. Progymnasm. homilet. semel.		Chirurgia [illegible] De morbis [illegible]	[illegible]
V.	Exercit. hebraic. sem. I. Exercit. dogm. semel.		Historia medicinae [illegible] Medicina forensis [illegible]	[illegible]
[illegible]	Exercit. N. T. semel. Exercit. hebraic. [illegible]			
[illegible]		Examinatorium [illegible] Examinatorium [illegible] Ius matrimonii [illegible] Processus crimin[illegible]	[illegible]	[illegible]